



Theologiæ Spiritualis Scholasticæ Et Moralis Tomvs ...

Ad Mentem Doctoris Subtilis Joannis Duns Scoti D. Augustino Conformem

In quo tractatur de Intellectu & Scientia Dei, ejusque Objecto. Item de
voluntate & volitione Dei, ejusque Objecto

Bosco, Jean a

Antverpiae, 1686

Concl. III. Ponenda sunt in Deo decreta respectu futurorum
conditionarorum, quæ revelata sunt; & respectu aliorum, si velit ea
cognoscere in ratione futuri. Ipsius decreti divini non datur ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73680](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73680)

ad consensum; involvit repugnantiam in terminis; quia implicat, promitti conditionaliter id, sine quo conditio impleri non potest; sed voluntas creata non potest velle operari sine actuali concursu Dei: ergo talis concursus non potest promitti sub conditione, si velimus operari; nam velle operari est operatio. Major patet; quia hæc promissio: *Si operaberis, dabo tibi existentiam, sine qua operari non poteris*, est omnino illusoria, eo præcisè, quia existentia est conditio, sine qua nemo potest operari. Haecenus Felix.

136.
Felix non expugnat scientiam mediam.

Qui licet bene impugnet scientiam mediam, haud equidem, meo iudicio, eam expugnat; sed permanet verè probabilis, qualis reverà non esset, si argumenta illius Auctoris convincerent. Diffusius illa proposui, ut Lector videat maiorem probabilitatem nostræ Conclusionis, & nobiscum dicat: Scientia formalis contingentium, in quibus conditio numquam purificatur, non est ante determinationem liberam voluntatis, seu actualè decretum, quo Deus vult talia futura fore sub talibus conditionibus. Ac sanè contraria sententia, quò facilius abditum divinæ providentiæ mysterium explicare videretur, magis debet esse suspecta; cum & Apostolus, & SS. Patres ad altitudinem divinæ sapientiæ & scientiæ recurrendum censuerint, ut antea ostendimus. Si autem à me quaeritur; an ergo in Deo sint ponenda infinita decreta circa infinitas combinationes futurorum conditionatorum. Respondeo citius:

An in Deo sint infinita decreta conditionatorum.

CONCLUSIO III.

Ponenda sunt in Deo Decreta respectu futurorum conditionatorum, quæ revelata sunt; & respectu aliorum, si velit ea cognoscere in ratione futuri. Ipsi decreti divini non datur præscientia.

137.
An omnia futura conditionata habeant determinatam veritatem.

Deus debet habere huiusmodi decreta, si talia futura conditionata cognoscere. Non debet velle cognoscere.

Quæritur hic, an omnia futura conditionata habeant determinatam veritatem; nam cum veritas ortum habeat, secundum nos, à decreto, erunt infinita decreta, sicut sunt infinitæ combinationes futurorum conditionatorum. Afferit Felix sup. diff. 3. num. 3. Patet (inquit) nam distincta veritas est conditionata à possibili; sed sine decreto non datur talis veritas: ergo cum voluntas suspensa manere non possit, si vult cognoscere talem veritatem, debet habere decretum circa talè veritatem conditionatam; nam sicut infinitas creaturas possibiles cognoscit, & amat; ita potest habere infinita decreta circa infinitas combinationes. Sic ille. Sed numquid debet habere? Numquid debet velle cognoscere illas combinationes in ratione futuri? Non autumo. Siquidem ad sal-

vandum fecunditatè intellectus divini sufficere videtur, ut Deus cognoscat omnes illas combinationes, sive complexiones in esse possibili, ad quam cognitionem non requiritur, ut patet, decretum. Porro ad summam actualitatem divinæ voluntatis consimiliter videtur sufficere simplex affectus voluntatis circa illas combinationes & complexiones in esse possibili; maxime, quando non sunt verè conditionales; sed omnino disparatæ, quarum Antecedens nullum habet influxum in Consequens.

Possit ergo dici; quòd Deus solum habuerit decretum circa illa conditionalia, quæ aliquo modo sunt utilia ad ostensionem divinæ sapientiæ, bonitatis, aut iustitiæ, & propter ea revelavit in Scripturis, ut patet ex antedictis. Interim nequit ostendi repugnantia, in eo quòd etiam circa aliqua non revelata, quæ possent servire ad ostensionem sapientiæ, bonitatis, aut iustitiæ divinæ, si Deus vellet cavere, habuerit decretum conditionalium. Imò & circa alia quæcumque: quàmvis enim in homine sit imprudentia, determinare de rebus, quæ non spectant ad providentiam, & habent conditiones impertinentes, v.g. Si *Caesar dormiat, Petrus negabit Christum*: non tamen propterea in Deo, qui propter suam perfectionem nequit suspensus manere. Imò (inquit Felix sup. num. 4.) ad ejus providentiam spectat, decernere quidquid eventurum est, supposita quacumque conditione. Et si dixeris: Etiam sunt distinctæ veritates in existentia rerum; & tamen non omnes creaturas possibiles Deus absolute decernit existere. Respondet: quòd existentia actualis rerum pertinet ad divinam providentiam, & tamen illam producit, vel non secundum suos occultissimos fines; at verò decreta conditionata non revelata, etiam non pertinuerunt ad Dei providentiæ, spectat ad Dei perfectionem, ne suspensa maneat circa aliquod objectum. Addo: quòd Deus actu positive ordinavit non solum, quæ futura erant, sed etiam non futura. Unde omnia objecta possibilia sunt vera, vel falsa in statu futuritionis absolute. Sic ille.

Numquid etiam in statu futuritionis conditionata? Nonne omnes conditionales contingentes sunt determinatè veræ vel falsæ? Dico (inquit Smiling sup. num. 165.) quòd sicut in propositionibus absolutis de futuro contingenti nulla datur, quæ non sit determinatè vera, vel determinatè falsa; ita etiam in conditionatis nullam dari neutram ad veritatem, & falsitatem. Nam omnes rationes, quæ id probant de absolutis, probant etiam de conditionatis, ut faciliè patet eas consideranti, quæ fundantur in principiis universalissimis, à quibus si semel fiat exceptio, in nulla materia vim obtinebunt, nec poterit aliqua reddi exceptionis ratio. Atque hæc assertio facilis est in sententia illorum, qui statuunt veritatem quandam conditionalium contingentium præcise divinæ voluntatis decreto: in nostra autem sententia videri potest res habere difficultatem, quam

difficultatem, quam hisce verbis proponit idem Auctor sup. num. 166. Cum sentiamus, propositiones conditionatas, de futuro contingentibus quoad veritatem falsitatemque pendere à determinatione divinæ voluntatis; nec videatur necesse, Deum determinasse alteram partem contradictionis, quæ in quibuscumque propositionibus contingentibus sub conditione in infinitum excoGITABILIBUS versari potest, sit, ut non videatur cuiuscumque talis propositionis conditionatæ altera pars esse determinatè vera, altera determinatè falsa; sed quædam possint esse propositiones neutrae, illæ scilicet, de quibus voluntas divina nihil decrevit.

Quod autem de quibuscumque nihil decreverit, vel saltem potuerit nihil decrevisse, probatur in triplicigenere talium propositionum. Primum si quidem de illis conditionatis, quæ nunc sunt veræ, vel falsæ, nihil decreverat pro illo rationis signo, quo solum intellexit res creatas in esse essentia; & pro sequenti signo potuit eas non decernere pro altera parte, cum liberè decreverit, & saltem de falsis nihil decrevit. Secundò, de conditionatis disparatis Deum nihil decrevisse, probatur: quia in his, conditio, seu Antecedens, nullum influxum habet in Consequens; sed planè per accidens & impertinenter se habet ad illud: non videtur autem prudentis aliquid decernere sub conditione impertinenter; quousque enim huiusmodi decretum? Unde nemo non dicet, delirare hominem, qui hæc aut similia secum decerneret concilia: Si Socrates ad bellum profectus fuerit, ego Philosophia operam dabo: si aves volaverint, ibo dormitum. Quomodo ergo hæc & similia decreta in sapientiam divinam cadere possunt: Si Cæsar Roma interficiatur, volo quod Socrates ad fidem convertatur: Si Petrus neget Christum, volo quod Herodes eat venatum? Tertiò, ea, quæ nunc Deus decrevit fore absolutè, prius possunt concipi sub conditione; nec tamen verisimile est, Deum de his prius habuisse decretum conditionatum, quam absolutum: nam huiusmodi decretum conditionatum, & esset inutile ad ostensionem divinæ sapientia, bonitatis, aut iustitiæ; utpote, quæ talis apparet ex decreto absoluto, & ex absoluta futuritione talis effectus absolutè decreti: ad causæ secundæ libertatem salvandam, aut ad certitudinem divinæ providentiæ non requiritur; quia sufficit efficacia decreti absoluti, & quod illud comiteretur, non præveniat, prædeterminetque arbitrium creatum ordine naturæ. Hucunque Theod. contra suam assertionem. Et quid putatis eum respondisse? Attendite.

141. Resp. (inquit num. 167.) etiam si admitteremus, de his omnibus Deum nihil decrevisse, id minime pugnare cum nostra assertionem: nam admitteremus consequenter, propositionem de his aliquid determinatè affirmantem, esse falsam, & oppositam ejus negantem esse veram. Exempli gratia, si de hac disparata: Si Petrus neget Christum, Herodes ibi venatum; Deus nihil decrevit, est falsa, & opposita ejus negativa est vera,

Tomus I.

videlicet: Si Petrus neget Christum, Herodes non ibi venatur; atque ita de ceteris conditionalibus excoGITABILIBUS semper una erit determinatè vera, altera erit determinatè falsa. Dixi vero: Determinatè affirmantem esse falsam: quia determinatè negans non requirit per se divinum decretum, prout negatio per se causam non habet, sed positio alicujus sola per se causam habet; negatio autem per accidens ratione alienius positionis causam habere potest; & eadem ratione per accidens pendebit à divino decreto, & propositio asserens talem negationem fundatam in positivo habebit vim affirmativæ, & si de ea Deus nihil decreverit, erit falsa, & opposita negans talem negationem erit vera, ac proinde illam comprehendimus nomine propositionis determinatè affirmantis.

Verbi gratia hæc conditionalis: Nisi Ezechias oraverit Dominum pro vita longiore, morietur & non vivet, est affirmativa privationis vitæ, & ejus opposita; nempe, Non morietur, sed vivet, est negativa talis privationis: & cum privationes habeant esse, dependentiamque à divino decreto ratione entis positivi, cui insunt, aut formæ positivæ, cui opponuntur, propositio tribuens subiecto privationem suam veritatem habet dependentem à divino decreto, licet de puris negationibus, ut verificentur, sufficiat, Deum non decrevisse affirmationem oppositam, seu Deum nihil decrevisse; ut v. g. ad hoc, quod sit tantum unus mundus, & non sint plures, sufficit, Deum solum habuisse decretum de uno mundo creando, etiam si non habuerit speciale & distinctum decretum de non creandis aliis mundis: quàmquam & de puris negationibus, ut verificentur, dici possit (quod sunt negationes contingentes) eas quo modo habent esse, scilicet negativè, quod est potius non esse, seu nihil esse; eodem modo pendere à non positione seu negatione divini decreti, quo decreto opposita affirmatio statui posset. Atque ita patet, quo sensu dixerim, propositionem determinatè affirmantem aliquid de futuris contingentibus conditionatis supponere divinum decretum & quomodo nihilominus quædam negativæ propositiones etiam supponant divinum decretum; & quâ ratione tandem nihil sit verum in materia contingentis absque ordine ad divinæ voluntatis decretum. Usque adhuc Theodor. optimè discurrens de hac controversia. Nec

habeo, quod addam, nisi id ipsum, quod ipse continud attexit num. 168. dicens: Et quia decretum Dei nobis non potest esse notum, nisi vel per ipsius revelationem, vel per congruam & probabilem rationem; secundum hæc judicandum est in particulari de veritate hujus aut illius conditionalis; & ubi nulum istorum mediorum nobis suppedit, fatendum nos ignorare, utrum hæc aut illa conditionalis sit vera, an falsa, quàmvis in re, & in divino intellectu, semper sit vera, aut falsa determinatè.

Et quidem ex Scriptura quædam conditionales sup. retuli, de quarum veritate dubitari

X

non

Determinatè affirmans erit falsa.

142. Offenditur in exemplo, quod etiam aliquando negans.

Conclusio.

Secundum hæc judicandum est de veritate hujus aut illius conditionalis.

143. De veritate